

/ Illust<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Domine. Valde mirum videtur omnibus bonis catho-  
 licis qui erga sacrum ordinem monasticum aliquo pio affectu moven-  
 tur, quod conventus monasterii S<sup>ti</sup> Petri ordinis D. Benedicti iuxta  
 Gandavum gravetur pensione mille florenorum annuè ecclesiae cathe-  
 5 drali Gandensi solvenda. Idque praeter rationem et aequitatem esse  
 passim omnes iudicant; tum quod episcopatus opulentus sit et nulla  
 ratione indigeat hoc tempore huiusmodi subsidio, sed ex suis pro-  
 ventibus etiam canonicis affectis (-quos vocant) qui episcopo a conf-  
 silio sunt, abunde subveniri possit, si opus esset: tum quod illud  
 10 monasterium S<sup>ti</sup> Petri nunc ad paupertatem redactum et gravi aere  
 alieno oppressum propter horum temporum iniuriam et bellorum motus,  
 imo et haereticorum furore dirutum, templumque solo adaequatum e-  
 mergere non possit nec restaurari, si istam pensionem deinceps  
 solvere cogatur. Quare merito R<sup>du</sup> D. Abbas dicti monasterii et  
 15 coadiutor, totusque contentus supplicare compellitur Suae Sancti-  
 tati, ut istam pensionem extinguere dignetur, et a me petiverunt,  
 ut ego, qui huius rei conscius sum et familiaris dicto conventui,  
 apud Ill<sup>mam</sup> et R<sup>mam</sup> Dominationem Vestram, cui aliquando, cum esset  
 in minoribus, Romae in Societate Iesu notus fui, intercederem, qua-  
 20 tenus dignetur hoc negotium apud Suam Sanctitatem promovere, et ef-  
 ficere ut sua partim gratia partim auctoritate, quibus multum po-  
 test, monasterium praefatum a supradicta pensione exoneretur, quo  
 facilius tandem reaedificari queat, et sic ad honorem ecclesiae  
 Dei atque salutem animarum disciplina monastica exactius observari,  
 25 quae propter haec mala tempora et destructionem monasterii defec-  
 tumque locorum, quae regularis disciplina requirit, nonnihil collap-  
 sa fuit, et tam in temporalibus quam in spiritualibus iacturam pa-  
 ssa. Sed nunc coepta est restitui virtute, pietate, opera et indu-  
 stria quidem boni patris eiusdem monasterii nomine D. Iacobi An-

/ ae. Fuit enim olim Coloniae discipulus noster, sed nondum habet  
a Sua Sanctitate confirmationem, quae hactenus dilata est, propter  
mortem D.Clementis Sublindii, qui habebat processum in manibus su-  
is. Quare etiam atque etiam rogo ut Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> Dominatio Vestra  
5 apud Summum Pontificem intercedat, quatenus dicta confirmatio ex-  
pediri possit, idque per viam secreti cum moderatione vel aliqua  
remissione annatae quae Summo Pontifici debetur, quandoquidem duo  
praedecessores omnino gratis eam obtinuerunt, et monasterium hoc  
tempore, ut dictum est, magno aere alieno premitur, Necesse vero  
10 est, ut praefatio confirmatio fiat in amplissima forma cum admini-  
stratione rerum non tantum temporalium sed etiam spiritualium, ad  
restaurandam et conservandam monasticam disciplinam, quae propter  
senium abbatis nimium enervata est. Christus Dominus Illust<sup>mam</sup> et  
Rev<sup>mam</sup> Dominationem Vestram diu servet incolumem. Ex Cartusia Gan-  
15 densi die 14 Februarii anno 1610.

Illust<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> Celsitudinis Vestrae

Humilimus servus in Christo

f. Arnoldus Hanensius, olim vester disci-  
pulus, nunc indignus prior cathusiae Gandensis.

-----

20 Illustrissimo et Reverendissimo Domino D.Roberto Bellarmino  
Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinali Archiepiscopo Capuano.etc.Do-  
mino clementissimo. (cachet)

Romae.

cf 953